



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XIV. Vtrùm benigna sententia cuilibet auctori gravi auctoritatem  
tribuat, Romani Pontificis aut Concilii Generalis auctoritati æqualem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

si educati fuerunt, error purè materialis ac prorsus iavincibilis non rarè in illis, maxime in idiotis, reperitur. Hi ergo, & alii omnes, qui ex aliorum falsa directione errant, per accidens excusantur, si iavincibiliter errent, seu quod idem est, si ex persuasione certò prudenti atque probabili absque obligatione ulterioris inquisitionis

conscientiam formant. Quæ omnia adeo clara, & rationi consentanea sunt, ut mirum sit, Celladeum res tam perspicuas tam indigesta oratione proponere potuisse, ac existimasse, tam apertam fallitatem ex rebus tam perspicuis deduci.

## QUÆSTIO DECIMA- QUARTA.

*Virum benigna sententia cuiuslibet auctori gravi auctoritatem tribuat, Romani Pontificis aut Concilii generalis auctoritati aequalem?*

Celladeus declarat, se velle in arguendo nos imitari.

**MIRABILIS**, ni fallor, primo aspectu videbitur titulus iste, ab omni veritatis specie alienus. Verùm magis miranda apparebunt in decursu quæstionis, quam ideo instituo, quia Celladeus lib. 1. quæst. 7. fusè prosequitur hoc argumentum, atque nostra, ut ait, arte ad nos invadendum utitur. Nos, ad probandum usum opinionis minùs tutæ esse licitum, inter reliqua observamus, Pontifices Romanos, in rebus summi momenti ac in Ecclesiæ regimine, frequenter in praxi sequutos esse partem minùs tutam contra tutiorem probabilem, aut etiam probabiliorem. Quo argumento Celladeus nos magnum sententiæ rigidæ odium conlasse fatetur. Quocirca eadem arte uti statuit, ideoque contendit probare, benignam sententiam eo titulo absurdam esse & falsam, quòd cuius Auctori gravi tribuat auctoritatem, Summi Pontificis & Concilii generalis auctoritati æqualem, immo & majorem. Plurimum autem tribuit huic paradoxo, quod non ideo excutiendam censeo, quia ullam difficultatem habeat (ex hoc enim capite tota quæstio omitti potuisset) sed quia similia paradoxa imperitos non parùm movere solent, nisi excutiantur, & dissolvantur. Sit ergo.

### ASSERTIO PRIMA.

*Celladeus haud peritum artis nobis ab ipso tributa, seu argumenti à Romanorum Pontificum exemplis deducti imitationem se ostendit.*

Imperitò nos imitatur.

**2. PROBATUR.** Ars nostra, seu potius argumentum nostrum in eo consistit, quòd ex certis historiis, atque testimoniis indubitatis probemus, Summos Ecclesiæ Pastores, Sanctitatis ac prudentiæ laude conspicuos, non semel aut iterum, sed frequenter sequutos esse benignam sententiam, idque in rebus summi momenti, ad publicam Ecclesiæ administrationem spectantibus. Nec tamen quisquam audent os in cælum ponere, eosque peccati condemnare. Unde efficaciter inferimus, idem quoque nobis

ac omnibus in rebus minoris momenti licere. Argumentum hoc fusè à me tractatum est quæst. 22. de Conscientia prob. à num. 183. ad 200. & à num. 227. usque ad finem quæst. Ubi efficaciter rejeci quidquid ad talia exempla enervanda adversarii congererant. Præterea hic etiam quæst. 8. idem argumentum prosecutus sum, praxique Romanorum Pontificum, eorundem doctrinam ac decreta addidi, ex quibus benigna sententia validissimè confirmatur. Jam ut Celladeus artem hanc, seu hunc arguendi modum congruè imitaretur, debuisset certissima Romanorum Pontificum exempla aut decreta afferre, ex quibus constaret, usum partis minùs tutæ, etsi probabiliter licitæ, esse peccaminosum, atque ab ipsis habitum pro peccaminoso. Secundò debuisset exempla à nobis allata, atque argumentum in illis fundatum distinctè examinare, atque illius nullitatem, si posset, ostendere. Verùm nil horum præstitit Celladeus, sed pro exemplis indubitatis attulit illationes, nescio quas, absque sufficienti motivo excogitatas; pro serio autem tantæ rei examine uno levi verbo, ut mox ostendam, argumentum eludere & exsufflare conatus est. Ergo incongruè artem nostram, seu nostrum ex hoc capite arguendi modum imitatus est, seu potius nullo modo est imitatus.

### ASSERTIO II.

*Responsio Celladei ad argumentum, à Summorum Pontificum exemplis desumptum, est prorsus insufficientis.*

**3. PROBATUR.** Ad argumentum illud, prope initium quæst. 7. respondet hoc modo, non satisfactum negabimus, & dabimus eos usos esse opinionibus speculative quidem minùs probabilibus, non autem practice: practice autem probabilitas ex circumstantiis publicis & privatis constat, quas noverunt utique Romani Pontifices dispensantes, & que nos Theologos sepe latent: ideo absurdum potius est similia ad tribunal nostrum vocare, & sententiam pronuntiare. Hæc ille, nec verbum amplius pro responsione attulit. Porro responsio ista ex omni parte deficit. Inprimis, negare factum est negare Pontifices

Pontifices ejusmodi dispensationes concessisse. At ex certis & indubitatis historiis & auctoritatibus moraliter certum est, ejusmodi dispensationes in causis incertis & utriusque probabilibus frequenter fuisse factas. Ergo factum absque ullo fundamento, immo contra moralem certitudinem perperam negatur. Nec dicat, se solum negare, eos sequutos esse opinionem minus probabilem; quia hic & nunc parum nostrâ interest, an opinio, quam sequuti sunt, fuerit minus vel æquè probabilis, aut probabilior oppositâ, quia quodvis istorum ex æquo contrariatur Celladeo, totamque illius fabricam evertit. Præterea, qui legerit quæ attuli *quæst. 22. de Consc. prob.* videbit, Pontifices sæpe sequutos esse opiniones, aut solum æquè, aut etiam minus probabiles, adeo ut factum negari merito non possit.

Dispensationes erant contra opinionem practicè probabilem.

4. Secundò. Maxima pars dispensationum, de quibus nunc agitur, facta est in rebus, de quibus controvertatur, & etiamnum ab integris celeberrimisque scholis controvertitur, an Potestas Pontificia in ullo casu extendatur ad validè dispensandum in illis. Ergo nullæ aderunt circumstantiæ, siue privatæ siue publicæ, quæ poterunt reddere Pontifices moraliter certos, se validè dispensasse, & subditos à periculo peccati materialis sua dispensatione exemisse. Ergo in talibus materiis frustra & abs re recurritur ad varietatem circumstantiarum, quæ in aliis materiis efficere potest, ut quod malum est in his, in illis circumstantiis non sit malum, sed bonum.

Erant in materia circa quæ probabilitas speculative non differret à practica.

5. Tertio. Dispensationes istæ factæ sunt circa materiam, in qua probabilitas speculativa à practica separari nequit. Probabilitas enim practica illa est, quæ probabiliter enunciat de honestate operis. At certum est, Pontifices dispensasse circa multa, de quibus, omnibus inspectis, probabile erat dispensationem ipsam fuisse nullam, atque etiam rem per dispensationem obtentam, non obstante dispensatione, fuisse peccatum, legi naturali aut divinæ positivæ contrarium. Ergo certum est, exempla à nobis allata verata esse circa res & opiniones practicè probabiles.

Pontifices non habuerunt circumstantias & rationes privatas aliis ignotas.

6. Quarto. Ex eisdem historiis indubitatis constat, Pontifices totam rem cum suis circumstantiis Theologis ac Consultoribus proposuisse, ac tandem dispensationem indulgisse, quamvis aliqui gravissimi reclamarent. Et sanè absurdum est exiltimare, Pontifices Consultoribus omnes circumstantias non proposuisse, sed aliquas sibi retinuisse, ex quibus ad operandum dirigerentur; tunc enim frustra alios consulissent; non enim petissent consilium de iis, quæ facturi erant, quia facturi erant ea in aliis circumstantiis, per quas tota operis moralitas prorsus alteranda erat. Ergo certum est, omnes circumstantias ad rem pertinentes fuisse propositas; quamvis nos jam ignoremus, quænam illæ fuerint. Ergo certum est, Pontifices toties sequutos esse partem minus tutam, contra tutiorem probabilem, quoties plures ex gravissimis Consultoribus reclamabant. At certum pariter est, plures ex Consultoribus sæpe reclamasse, immo notorium est aliquando non unum vel alterum ex Consultoribus, sed communem scholasticorum opinionem, integrasque scholas Sanctitatis ac doctrinæ laude maximè conspicuas dammare tales dispensationes ut invalidas, & à fortiori in directâ consideratione ut illicitas. Ergo certum est, argumentum non solum

& P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

vi dicendo, circumstantias variatas fuisse, & opinionem, contra quam Pontifices dispensarunt, fuisse solum speculative probabilem, aut probabiliorum illa, quam sequuti sunt. Demum Adrianus VI. dispensavit contra propriam opinionem dictantem, opus illud nec posse nec debere fieri. Ergo sequutus est opinionem contra aliam practicè probabiliorum. Sed & declaratio Urbani VIII. expressè favet opinioni æquè ac minus probabili, ut patet.

7. Quintò demum, nos non vocamus facta ista ad nostrum tribunal, ut de illis iudicium feramus; sed ex certis historiis, ex indubitatis Doctorum sententiis, atque ex prudenti usitatoque procedendi modo, primò observamus quænam à Summis Pontificibus gesta fuerint: deinde supponimus ea legitime ac licite facta fuisse, & honoris atque observantiæ in eos causâ, quatenus opus est, id ipsum probamus. Atque ita demum licitum, ulum opinionis probabilem, etsi minus tutæ, esse omnibus licitum, quia extra controversiam id licitum est Romanis Pontificibus in rebus summi momenti, in quibus par aut major difficultas reperitur, quàm in ulla causa ad privatos homines spectante. Ecce responsio Celladei ad nostrum argumentum ex omni parte deficit.

Nos non iudicamus eorum facta; sed ex certis historiis, ex indubitatis Doctorum sententiis, sed supponimus ea legitime ac licite facta fuisse.

ASSERTIO III.

*illatio illa Celladei, quòd scilicet benigna sententia cuiusvis gravi Doctori auctoritatem tribuat, Romani Pontificis & Concilii generalis auctoritati æqualem, est absurda, viris doctissimis injuriosa, & ex obviis principiis aperta falsitatis convincitur.*

Assertio seu illatio Celladei est absurda.

8. **P**ROBATUR. Inprimis, illatio illa est absurda, quæ asserit omnes omnino Ecclesiæ Doctores, in re morali summi momenti, & ad generalem debite conscientiam formandi modum spectante, per integrum sæculum tam enormiter errasse, ut illorum opinio (verbis ac phrasi Celladei utor) *sequelam tantæ absurditatis continuerit, ut instar montis fauces superantis à nemine devorari possit.* Incredible enim est, omnes omnino, post diligentissimam materiæ discussionem, quam certum est plurimum eorum adhibuisse, potuisse in opinione tam absurdam conspirare, quia tantæ absurditas non potuisset non se non proderet alicui. At certum est, neminem illorum deformitatem illam, aut aliquid illi affere detexisse. Ergo incredibile est, quidquam ejusmodi ex illa sequi. Absurda ergo est præsens illatio, quæ in re tali tantam ignorantiam & oscitantiam univèrsis Ecclesiæ Doctoribus per integrum sæculum attribuit.

9. Deinde, quid injuriosius dici potest contra unanimum omnium omnino per sæculum integrum Ecclesiæ Doctorum opinionem, quam asserere, unanimum eorum in tali materia sententiam involvere absurda, quæ instar montis immani ab humanis faucibus devorari non possunt? Atqui hanc illis notam disertè inurit, & quod plus est expressè fatetur, se hanc suam illationem non probasse modò, sed etiam demonstrasse. Ergo hæc illius illatio non solum aliquibus viris gravissimis, sed omnibus integri sæculi Doctoribus est injuriosa.

Est viris doctissimis injuriosa.

10. Demum, quòd illatio illa ex obviis principiis aperta falsitatis vincatur, ex eo patet, quòd

quod benigna sententia aliam viro gravissimo auctoritatem non tribuat, quam quod aliquando in rebus incertis, magnâ suâ indulgentiâ tot & tam efficacibus argumentis stabilire possit suam sententiam, ut, omnibus inspectis, illam reddat prudenter credibilem, seu certè probabilem, quamvis illam non demonstret, nec probabilitatem ab oppositâ auferat. In quo casu, si sententiam ferat de honestate partis minùs tutæ, dicimus intellectum, non ex illius auctoritate tamquam ex præmissa, sed solum ex principiis universaliibus synderesis reflexis, & ex scientia certa reflexa de qualitate seu natura opinionis tali Auctori tribuat, consurgere posse ad formandum iudicium certum de honestate operationis hic & nunc terminatæ ad objectum, quod Auctor ille tradidit esse licitum, licet honestas materialis operis maneat incerta relatè ad circumstantias directè consideratas, in ordine solum ad quas auctoritas illius Doctoris se extendit. Hoc summum est, quod tali Doctori benigna sententia tribuit. Nec tantum illi, nisi multis cum limitationibus concedit. Unde fieri potest, ut eadem assertio & ab ipsomet postea revocetur, & ab aliis improbabilitatis ac falsitatis condemnentur; in quo casu nulla amplius aderuat principia synderesis, ex quibus conscientia certificans nos de honestate operationis consurgat, sed è contrario aderunt principia conscientiam gravantia ad talem operationem omitendam. Uno verbo omnis Doctor, quantumvis gravis, semper est fallibilis, nec unquam illi certam, sed solum formidolosam fidem præbemus circa ea, quæ asserit, nec illi tenemur assensum præbere, quamvis eidem assentire possimus.

Auctoritas  
gravi Au-  
ctori à no-  
bis tributa  
quæ sit, &  
quanta?

Auctoritas  
Summi Pô-  
ntificis & Cõ-  
cilii genera-  
lis est altio-  
ris ordinis,  
quàm au-  
toritas pri-  
vati Docto-  
ris.

11. E contrario, nos talem Summis Pontificibus, atque Conciliis generalibus auctoritatem tribuimus, ut illorum decisio non probabilem, sed certam & infallibilem reddat eorum sententiam, ex cuius vi præcisè, non per ambages & principia reflexa, sed directè certificamur non solum de honestate formali operationis, sed etiam de honestate materiali operis secundum se. Quæ omnia immediatè proveniunt ab infallibili auctoritate, quam in illis agnoscimus, cui omnes assentire tenentur. Unde credimus, nec ipsos posse postea suam definitivam sententiam retractare, nec ulli mortalium licere talem definitionem in dubium vocare, aut illam falsitatis arguere. Hæc sunt, quæ de privati Doctoris, hæc quæ de Summi Pontificis, Conciliique generalis auctoritate sentimus; eadem autem ab omnibus tamquam principia fixa & indubitata admittuntur. Ex illis autem evidenter sequitur, nos non parem privato Doctori & Summo Pontifici, vel Concilio generali auctoritatem tribuere, sed illam Doctoris privati esse non solum incomparabiliter minorem, verum etiam inferioris ordinis, adeo ut nulla inter illas ratio seu proportio dari possit, plus quàm inter lineam & superficiem, aut inter certum & probabile, fallibile ac infallibile. Eadem ratio palam evincit, illationem Celladei, utpote (audacter dico) evidenter falsam, nulla ratione probabiliter confirmari posse, ideoque rationes, quas ad eam stabilendam Celladeus affert, quatenus illi confirmandæ deserviunt, esse improbabiles. Hoc quomodo in particulari verum sit, ex illarum ponderatione mox apparebit.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

12. **O**BJICIT primo loco Celladeus, & Obiectis  
hæc verbis arguit. *Quæro an probabi- mirabiliu.*  
litas sit recta regula morum? & a.unt. *Quæro rur-*  
*sus, an habita probabilitate formare possim infalli-*  
*bile ac evidens dictamen conscientie de meo non pecca-*  
*to, & de honestate ac rectitudine mee operationis?*  
*& a.unt. Quæro mox: ubi & unde comparare valeam*  
*eam probabilitatem? & respondent in dicto, & opi-*  
*none omnis & cujuslibet gravis Auctoris, vel Theo-*  
*logi gravis. Ex hu infero: ergo tanta est auctoritas*  
*omnis & cujuslibet Auctoris gravis in doctrinâ mor-*  
*um, ut eam sequendo sit prorsus impossibile me pec-*  
*care, & honestè non agere; quin operer ex infallibili*  
*& evidenti dictamine non peccati & rectitudinis.*  
*Hactenus non aliud quàm ipsam suam sententiam in-*  
*tulisse videmur. Inferamus modo. Ergo tanta est au-*  
*toritas omnis & cujuslibet Auctoris gravis in materia*  
*morum, quanta Romani Pontificis & Concilii gene-*  
*ralis. Probatur consequentia, quia ea est & neutri-*  
*quam major Romani Pontificis & Concilii generalis*  
*auctoritas in doctrinâ morum, ut si regula infallibilis*  
*rectè operandi, & sit impossibile eam sequendo fideles*  
*peccare, & non rectè agere. Sed hac ipsa est auctori-*  
*tas omnis & cujuslibet Auctoris gravis. Ergo tanta est*  
*hujus quanta illorum Auctoritas in materia morum.*  
Ita Celladeus lib. 1. quæst. 7. §. 1.

Respondeo in primis retorquendo argumen- Retorque-  
tum contra Celladeum & omnes. Datur aliqua tur argu-  
auctoritas fallibilis, certis circumstantiis septa, mentum.  
cui fidem dantes prudenter agunt, & si errent,  
invincibiliter errant. De hac auctoritate totum  
argumentum formari potest, quia taliter creden-  
tes habent rectam regulam morum, habent enim  
dispositionem infallibiliter excusantem à peccato.  
Porro hoc ipsum fundatur in auctoritate illa falli-  
bili, dictis circumstantiis septa, cui fidem præ-  
buerunt. Ergo illa auctoritas, etsi fallibilis,  
æquat auctoritatem Romani Pontificis & Con-  
cilii generalis in doctrina morum, quia utraque  
ex æquo eandem prorsus infallibilem à peccato  
immunitatem tribuit. Ecce omnes hoc argumen-  
to (si tamen argumenti nomen mereatur) æquè  
urguntur. Ergo nimis probat. Ergo nihil pro-  
bat.

13. Deinde sub eisdem prorsus terminis sin- Retorque-  
gulariter retorquetur contra Celladeum, qui, tur ad ho-  
quamvis rejiciat probabile, quod consuetum minè cõtra  
appellat, admittit tamen probabile quoddam, ut Celladeum.  
vocat, positivum, tamquam sufficientem rectè  
operandi regulam. Porro hoc positivum proba-  
bile non est infallibiliter verum, quia est solum  
probabile. Jam peto, unde habeatur ista proba-  
bilitas positiva? quodcumque assignetur, contra  
illud argumentum, sub eisdem prorsus terminis  
procedit. Unde si argumentatio sit bona, legiti-  
mè sequitur, tantam esse vim illius, etsi fallibilis,  
ad excusandum à peccato, & fundandam actionem  
bonam, quanta est auctoritas Romani Pontifi-  
cis & Concilii generalis, quia utraque ex æquo  
arceat peccatum, & bonitatem ponit. Ecce Cel-  
ladeus iterum propriis argumentis implicatur,  
nec illis extricare se poterit, quin eo ipso fateatur,  
ea nullius ad intentum probandum ponderis  
esse.

14. Respondeo secundò, directè, & in pri- Dat. præ-  
mis dico, sequelam, etsi omnia antecedentia ad- missis, illa-  
mittantur, non inferri, quia auctoritas infallibilis tio non se-  
& certa majorem refundit honestatem in opus, quitur.  
quàm incerta & infallibilis, ut expressè osten-  
sum

Ad singula  
respondetur.

sum est *quest. 4.* Deinde ad singula Respondeo singillatim. Ad primam interrogationem dico, certam probabilitatem practicam esse sufficientem regulam obiectivam remotam ad fundandam conscientiam securitatem, modo intellectus ea utatur, non tamquam praemissa, sed solum ut obiecto reflexe evidenter cognito, ad formandam propositionem, quae sit essentialiter minor principii synderesis reflexi, atque ita consurgat ad formandam operationem. Probabilitas enim hac solum ratione est regula certa & evidenter licite operandi, ut hic saepe dictum est, maxime *quest. 2. & fuse ostendi quest. 12. 13. & 14. de Conscient. prob.* Quaeque aliter de illa sentit, non loquitur iuxta sensum tenentium, ultimum conscientiae dictamen debere esse certum & evidens, ut operatio sit honesta.

Ad secundam interrogationem dico, nos, habitam opinionem certo practice probabili, consurgere quidem posse ad formandum infallibile dictamen de non peccato, immo, de honestate operationis hic & nunc ponendae, non autem de veritate obiecti, quod sententia probabilis praecise proponit; illud enim nobis non potest certo innotescere, nisi per auctoritatem vel rationem infallibilem. Ceterum in isto dictamine formando non utimur opinione probabili tamquam praemissa formali, sed solum ut obiecto reflexe evidenter cognito, ut dictum est, adeo ut nec major nec minor talis syllogismi fundetur in auctoritate talis Auctoris.

Ad tertiam interrogationem fateor, probabilitatem reperiri in dicto ac opinione Auctoris gravis, modo hoc non tam crude ac universaliter sumatur, ut Celladeus illud proponit, sed accipiat cum limitationibus, quas *quest. 5. & 6. de Consc. prob.* proposuimus.

Syllogismus certificans nos de honestate operationis non fundatur in auctoritate fallibili, ut in praemissa.

15. His praemissis, ad primam consequentiam dico, impossibile quidem esse hominem peccare, qui, debita diligentia praemissa, bona fide conscientiam deponit in certo probabili resolutione Doctoris gravis. Ratio est, quia talis homo per novam consultationem confurgit ad formandum dictamen certum & evidens de honestate suae operationis; ita tamen, ut incertus maneat de honestate materiali operis, quod ponit. Porro in hoc casu haec certitudo indirecte tantum, remote, merique occasionaliter provenit ab auctoritate talis Auctoris, quia tota certitudo refunditur in praemissis, quarum neutra fundatur in ipsius auctoritate.

Porro ut haec omnia perspicue pateant, pono exemplum a Celladeo admissum. Admittit ille auctoritatem S. Ambrosii sufficere ad tranquillandam conscientiam S. Monicae, & ad illam in suis dubiis securè dirigendam. Idem dicendum de Cardinali Bellarmino, v. g. qui dum viveret, doctrinae ac Sanctitatis fama celeberrimus erat. Ponamus jam (quod haud dubie saepius factum est) plures homines cordatos, sed rudes & ignorantes, ab illo jam Cardinali & Archiepiscopo suo petiisse, quid sibi in dubiis suis agendum esset? simulque supponamus, eum in rebus tantum probabilibus respondiisse, partem minus tutam esse illis licitam. Dico rudem in tali casu posse licite sequi talem directionem, atque consurgere ad formandum dictamen certum & evidens de non peccato, atque de honestate suae operationis, non tamen directe propter auctoritatem Bellarmini, sed solum occasionaliter & indirecte, quatenus illius opinio & assertio praebet

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

occasionem novae consultationis, per quam conscientia operantis certificatur, non de materiali honestate operis secundum se, sed solum de formali honestate operationis hic & nunc faciendae. Rudis enim ille huiusmodi syllogismum format: *Deus contentus est ut riles in rebus dubiis sequantur id, quod Episcopi, ipsis dirigendi propositi, docent esse licitum; maxime quando Episcopi illi famam doctrinae ac Sanctitatis toto orbe celeberrimi sunt, &c. Ego sum rudis, & Bellarminus est Episcopus mihi dirigendo propositus, estque vir toto orbe doctrinae & Sanctitatis fama celeberrimus. Ergo Deus contentus est, ut in rebus dubiis faciam quod ille a me consultus dicit esse licitum. Sed ille a me consultus in hoc dubio respondit hoc esse licitum. Ergo hic & nunc licet mihi hoc facere.* Hunc autem alium ejusmodi syllogismum format rudis, semper autem utitur praemissis evidentibus, ad quas auctoritas Bellarmini remote tantum & occasionaliter concurrat, ut patet; nunquam enim in toto hoc discursu utitur propositione vel opinione Bellarmini ut praemissa, aut fundatur in ipsius auctoritate tamquam in medio aut ratione, propter quam evidenter assentitur ulli praemissarum, quia bene novit, tales homines fallere posse aut falli in suis judiciis, quamvis credibile prorsus sit, & certo prudenter praesumatur, eum hic & nunc nec fallere, nec falli. Itaque rudis ille non habet certitudinem de eo quod Bellarminus respondit, seu de materiali honestate operis hic & nunc a se ponendi.

16. Hinc autem aperte sequitur, secundam illationem seu applicationem argumenti esse nullam, & quod plus est, sequitur consequens esse evidenter falsum, quia Romani Pontificis & Concilii generalis auctoritas tanta est, ut directe & per se certificet nos de materiali honestate obiecti secundum se, nosque obliget ad illud credendum, nec ulli licet rem illam amplius in dubium revocare. Unde, stante illorum definitione, non per ambages & indirecte consurgimus ad formandam conscientiam certam de honestate formali operationis, cum incertitudine de materiali honestate operis secundum se, sed immediate, directe, & praecise ex vi auctoritatis illorum formamus certum & infallibile iudicium de absoluta & integra bonitate tam operationis quam operis. Ergo nulla est proportio inter istas auctoritates, sed illa Romani Pontificis & Concilii generalis est superioris ordinis, & per se influit in dictamen conscientiae tamquam causa adaequata & immobiliter eam certificans, cum omnia contrario modo se habeant in auctoritate Auctoris privati.

17. Et sane peto a Celladeo, utrum tuis ejusmodi in rebus vere incertis Bellarmini sui Episcopi responsum sequutus, non fuerit securus a peccandi periculo? Si neget, totum mundum bene sententem sibi contrarium inveniet. Sed & ipse sibi contrariabitur, tum quia concedit, auctoritatem Ambrosii olim ad hoc sufficere, quo stante, non est cur suo tempore Bellarmini auctoritas ad id ipsum non satisfecerit; tum quia admittit, errorem invincibilem excusare a toto. At si unquam detur error invincibilis, ille datur in casu praesenti, si contingat rudem illum errare. Ergo ille securus est, si erret. Quod si concedat, rudem illum esse securum, peto an inde sequatur, auctoritatem Ambrosii vel Bellarmini aequalem esse auctoritati Romani Pontificis, vel Concilii generalis? Si concedat, ipse devorat montem, quem praesens absurditate nimia a nullius faucibus devorari posse jactabat. Si neget, eo ipso argu-

Auctoritas infallibilis fundat praemissas nos certificantes de honestate operationis & operis.

Celladeus proprio argumento arguetur.

menti sui nullitatem agnoscat, illudque solvere tenetur.

Infallibilitas necessaria est Summo Pontifici.

18. Objicit secundò. Assistentia Spiritus sancti & infallibilitas non errandi necessaria est Romano Pontifici, quia siue illis gregi pascendo non sufficeret; si enim erraret, oves periclitarentur. At privatus Doctor, etiam quando errat, homines ejus dicto adherentes tam tutò dirigit ad salutem, quam Papa; quia ejus resolutio, æquè ac Papæ definitio, sufficit ad fundandum judicium infallibile de honestate operationis. Ecce auctoritas privati Doctoris, si benigna sententia vera sit, non solum æquat, sed ex eo cognoscitur excedere auctoritatem Romani Pontificis, quòd Papa, si per impossibile erraret, suam omitteret auctoritatem, cum privatus Auctor suam ex æquo conservet, etiam quando in probabilibus errat.

Respondeo, infallibilitatem necessariam esse Ecclesiæ, ejusque Summo Pastori ad gregem fide certa pascendum; fides enim Theologica certissima est & infallibilis. Si ergo Ecclesia & Pontifex errare possent, fideles periclitarentur, & ubique in fide hæsitarent; imò nil certa fide crederent, quia nullus est fidei articulus, circa quem plures errores exorti non sint. Jam si Ecclesia errores illos damnans errare posset, nullam haberemus regulam certam ad errores à veritate discernendos, & consequenter nil præter confusionem, ac opinionum dissensionem in Christianismo vigeret.

Infallibilitas absolute non requiritur ad oves Christi pascendas.

Quod si sermo sit de pascendo grege, non per fidem, infallibilitas ad pascendum non requiritur, quia haud dubiè Prælati ac Parochi greges suos pascunt, quamvis non sint infallibiles. Ad id quod additur de comparatione privati Doctoris & Papæ, jam abundè responsum est in dictis ad primum. Quòd autem privatus Doctor auctoritatem non perdat, si erret, Summus autem Pontifex perderet suam, si erraret, non probat auctoritatem privati Doctoris esse majorem auctoritate Pontificis, ad quod tamen probandum assumitur, sed evidenter convineit oppositum. Ideo enim Pontifex suam perderet, si erraret, quia evaderet fallibilis, cum supponatur esse infallibilis; sicut etiam Deus in eadem hypothesi suam auctoritatem amitteret, quia fallibilis evaderet, cum sit infinite infallibilis, & consequenter infinite excedat auctoritatem hominis privati, qui falli potest, quique ideo non perdit exiguam suam auctoritatem, quando fallitur, quia deceptio post diligens veritatis examen nec directè nec indirectè arguit diminutionem auctoritatis in eo, qui omni diligentia adhibita errare potest. In eo ergo erravit Celladeus, quòd magnitudinem auctoritatis confuderit cum extensione ejusdem ad plures modos affirmandi hæc vel illa objecta, cum tamen toto cælo discrepent. Magnitudo auctoritatis ex eo solum metienda est, quòd impediatur error in cognoscendo, & deceptionem in loquendo. Ergo infallibilis auctoritas Dei & Ecclesiæ est incomparabiliter major auctoritate privati auctoris, cum Deus & Ecclesia nec falli possint in cognoscendo, nec fallere in dicendo; privatus autem Doctor & fallere potest, & falli. Ecce quam incongrua & inconsequenter dicta sunt, quæ Celladeus arbitratur esse insolubilia, & maxime connexa.

Ratio Celladei incongrua.

Aequivocatio Celladei.

Objectio.

19. Objicit tertio. Illa sunt æqualia ad aliquem effectum, quæ sunt æqualiter potentia ad illum. Sed auctoritas privati Doctoris, & auctoritas Romani Pontificis sunt æqualiter poten-

tes circa infallibilem conscientiarum directionem, quia utraque omnem peccati malitiam infallibiliter aufert, & fundat actionem honestam. Ergo auctoritates illæ sunt æquales in ordine ad conscientiarum directionem. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo, minorem esse evidenter falsam, ut constat tam ex probationibus assertionum, quam ex dictis ad primum. Solutio.

20. Objicit quartò. Romani Pontificis indefectibilitatem & infallibilitatem vitandi culpam & rectè operandi non posse subsistere sine ipsa Pontificis indefectibilitate. Si enim indefectibilitas vitandi peccati & honestè operandi subsistere posset cum defectibilitate doctrinæ, non esset cur indefectibilitas in doctrina morum Ecclesiæ tribueretur. Ergo nulla auctoritas fallibilis est infallibilis doctrina morum, immo undique chymericum est, indefectibilitatem recitandis morum haberi sine indefectibili veritate. Ita Celladeus §. 2. Objectio 4.

Respondeo primò, Celladeum hoc loco inconsequenter discurrere, sibiq; contradicere. In primis fatetur, errorem invincibilem penitus excusare. Deinde contendit, probabile suum positivum sufficere ad mores rectè dirigendos. Jam qui ex errore invincibili, aut probabili positivo operantur, utique operantur ex dispositione, quæ infallibiliter excludit peccatum: nec tamen ex infallibili ac indefectibili veritate diriguntur. Ergo ex mente, & opinione Celladei, infallibilitas vitandi culpam & rectè agendi in aliquo opere haud dubiè subsistit sine infallibilitate ac indefectibilitate doctrinæ. Nec hoc chymericum est, sed necessarium. Ecce Celladeus sibi contradicit, & proprium argumentum solvere tenetur. Celladei contradictio.

21. Respondeo secundò, indefectibilitatem in doctrina morum sumi posse dupliciter; primò directè pro doctrina, quæ talis est, ut eà semel posita, hoc ipso certi simus, doctrinam illam deficere, alterari, aut ab alia doctrina superari non posse. Pro tali doctrina necesse est, illam esse vel evidenter veram, vel ab infallibili auctoritate traditam; his enim deficientibus, repugnat doctrinam illam esse indefectibilem, certam, & infallibilem. Secundò, indefectibilitas doctrinæ morum sumi potest reflexè, quatenus considerat integram aliquam dispositionem, in mente operantis per accidens conflatam, & enunciat actum à tali dispositione regulatum nullà peccati malitià inquinari posse. Hæc propositio, si vera sit, est utique indefectibiliter vera, quia est propositio æternæ & indefectibilis veritatis. Pro prima indefectibilitate doctrinæ morum, ubi evidentiæ veritatis deest, necessaria est infallibilitas magistri docentis, quid inalterabiliter ac certò habendum sit pro vero & honesto. At pro secunda non item, quia postquam fallibilis auctoritas certò probabiliter enunciat aliquid esse honestum, confurgit constat dispositionum in mente, de quo ipsa ratio infallibiliter dicitur, quod certò sufficiat ad excludendum peccatum. Itaque hæc infallibilitas non peccandi non habetur ex vi auctoritatis privatæ & fallibilis, sed solum ex doctrina reflexa, quæ considerat fallibilem illam resolutionem, illiusque qualitatem in ratione objecti, illique addit principium generale synderesis, ex quibus infallibiliter deducit, quod opus in hisce circumstantiis sit licitum. Quæ omnia constant ex allato exemplo, & rationibus, quas attulimus. Porro quamvis

quamvis doctrina hæc reflexa sit indefectibiliter vera, quamdiu locum habet, seu quamdiu obiectum illius invariatur existit, simpliciter tamen nec est, nec reputatur indefectibilis pro praxi, quia quoties fallibilis resolutio mutatur, & ex probabili fit improbabilis (quod fieri potest, & nonnunquam evenit) toties tollitur obiectum hujus doctrinae reflexæ, & per consequens ipsa doctrina reflexa deficit, quia qualitas doctrinae directæ, id est proprium ipsius obiectum, amplius non existit.

Causæ, ob quas supra- mus Pastor debuit esse infallibilis, receduntur.

22. Neque hinc sequitur, infallibilitatem Summi Pastoris non fuisse necessariam. In primis necessaria fuit, ne in rebus necessariis necessitate mediæ erraremus, quia in illis nullus error excusat à damno, quod inevitabiliter sequitur ex mediæ omissione, quamvis error, si sit invincibilis, à novo peccato ob mediæ omissionem alioquin contrahendo excuset. Secundò necessaria fuit ad uniformitatem fidei in credentibus, quia, illà ablata, nulla esse posset concordia in doctrina, ut patet. Tertio necessaria fuit, ut lites in materia fidei & morum terminari possent. Quarto necessaria fuit, ut certi essemus, omnia ab Ecclesia præcepta esse directè honesta, & per se Deo placenta, de quo titulo mox plura dicenda erunt. Congruum enim erat fideles certificari per Ecclesiam, se non solum per accidens & indirectè, sed directè & per se, id est, & materialiter & formaliter Deo placere in iis, quæ Ecclesia ordinat aut præcipit. Quintò demum fuit necessaria ad præstantiam & dignitatem Ecclesie, utpote quæ in hoc aliis omnibus sectis prælatere debuit, quòd habeat infallibilem regulam dignoscendi quid directè & per se faciendum sit, quidque credendum ad salutem obtinendam.

Bellarmini rectè probat Papæ esse infallibilem.

23. Verùm, contra hoc modo instat Celladeus: Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 5. ex eo probat, Summum Pontificem in decretis morum errare non posse, quia si erraret, tota Ecclesia graviter læderetur, & erraret in rebus necessariis, quòd est contra promissionem Domini, Ioan. 16. cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quòd intelligitur ut minimum de veritate necessaria ad salutem. Secundò, quia tunc Deus deesset Ecclesie suæ in necessariis, quandoquidem præcepit illi, ut sequatur Pontificem, & Pontificem permittit errare in necessariis. At certè si Deus nulli rei deest in necessariis, quando minùs Ecclesie suæ? Quòd autem non possit Pontifex errare in moribus per se bonis vel malis, Probatur, nam tunc Ecclesia non posset verè dici sancta, ut in symbolo Apostolorum vocatur. Nam sancta potissimum dicitur ob sanctam professionem, quia legem & professionem sanctam proficitur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. Secundò, quia tunc necessariò erraret etiam circa fidem. Nam fides Catholica docet omnem virtutem esse bonam, & omne vitium esse malum. Rationes istæ, quibus Bellarminus aliique probant infallibilitatem Romani Pontificis, supponunt indefectibilem honestæ operationis doctrinam absque indefectibili veritate non posse subsistere. Et sanè rationes istæ nil probarent, si opinio probabilis, etiam falsa, & peccatum arceret, & actionem Deo gratam redderet; tunc enim sufficeret, si Pontifex instat privati Auctoris gravis per probabilia nos dirigeret, sic enim tam sanctè operaremur, ac si infallibili veritate nos dirigeret. Ergo quamvis non esset infallibilis, nil sanctitatis ab Ecclesia tolleretur, quia nec peccatum adderetur, nec meritum minueretur, sed oves rectissimà viâ ac do-

ctrinâ tutâ ad Cælum ducerentur. Ergo rationes, quibus Pontificis infallibilitas stabilitur, nil valent. At illæ valent, & independenter ab ista controversia ab omnibus admittuntur ut legitima. Ergo falsa est benigna sententia.

Respondeo in primis, argumentum nimis probare, quia probat, omnem actionem esse peccaminosam, quæ ab infallibili ac indefectibili veritate non regulatur. At hoc est falsum, quia omnes fatentur, errorem invincibilem infallibiliter à peccato excusare. Itaque Celladeus ipse tenetur argumentum solvere, quia admittit ali-quod iudicium falsum infallibiliter malum arceri. Nec obstat, quòd tenent talem actum non esse bonum, tum quia in hoc ipso errat, ut ostensum est quaest. 3. tum quia argumentum æquè procedit contra regulam certò liberantem à peccato, ac contra regulam certò inducentem laudabilitatem; nam non est ratio, cur indefectibilis ac infallibilis veritas potius requiratur ad unum, quàm ad alterum. Deinde respondeo, Sanctitatem ac honestatem majorem tribui à cognitione certa ac infallibili, quàm à fallibili ac erronea, ut ostensum est quaest. 4. Quamvis Celladeus absque ulla probatione contrarium obtrudat, quasi à nobis indubitanter admissum.

Objectiones torquetur contra Celladeum.

Cæterum admitto indefectibilem honestæ operationis doctrinam absque indefectibili veritate non posse subsistere; sed hoc ad præsentem quaestionem nil facit, ut constat ex dictis ad priorem partem objectionis.

24. Demum respondeo, Celladeum abuti Bellarmini auctoritate, quia Bellarminus hoc loco, antequam probationes illas afferret, apertè explicat suam mentem, & primò dicit, Pontificem errare non posse in decretis fidei, neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesie præscribuntur. Sed mox subjungit, quia in præceptis & iudiciis particularibus non est absurdum Pontificem errare, & remittit se ad priora, in quibus dixerat, res particulares esse illas, quæ ad paucos pertinent, quales fere sunt omnes controversie facti, ut an talis sit promovendus ad Episcopatum, an iure fuerit promotus? an sit deus? Tum ait, Pontificem, etiam ut Pontifex in suo cætu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare posse in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimonioque hominum præcipuè pendunt. Demum addit, Catholicos omnes in eo convenire, Pontificem solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. Ecce omnes Catholici unâ cum Bellarmino apertè agnoscunt regulam benè & honestè operandi, interposita determinatione Pontificis, præcindendo ab ea quaestione, an possit, vel non possit errare. Et tamen Bellarminus à Celladeo citatur, ut ex illius communiq; Ecclesie doctrina inferamus, nullo modo esse posse regulam honestæ operationis, nisi habeatur infallibilis ac indefectibilis veritas. Si hoc non sit abuti Auctorum doctrinâ, nemo dixerit, quid sit illâ abuti. Quæ enim major abusus, quàm eò doctrinam detorquere, ut ex illa inferas contradictorium ejus, quòd Auctor ipse expressè fatetur esse suum, omniumque Catholicorum sensum.

Celladeus testimonio Bellarmini abutitur.

Omnes tenent infallibilitatem non esse necessariam ad benè operandum.

25. Cæterum juvat hunc Bellarmini locum penitus introspicere. Bellarminus ergo postquam dixerat, Pontificem in decretis fidei morumque præceptis, toti Ecclesie præscriptis, errare non posse, hæc subjungit. Adimus secundò, non posse errare Pontificem in præceptis, quæ in rebus necessariis

cessariis ad salutem, vel per se bonis vel malis versantur, quia non est erroneum dicere, Pontificem in aliis legibus posse errare, nimirum superfluum legem condendo, vel minus discretam. Etc. ac ut rem totam exemplis declaremus, Pontifex errare non potest precipiendo aliquod vitium, ut usuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem, quia hec sunt per se bona vel mala. Nec errare potest precipiendo aliquid contra salutem, ut circumcisionem, vel prohibendo aliquid necessarium ad salutem, ut baptismum. Tum ait, absurdum non esse, si dicamus fieri posse, ut erret precipiendo inutilia, vel sub pena nimis graui. Demum hæc subjungit. *Quamquam non est subditorum de hac re dubitare, sed simpliciter obedire.* His præmissis pro explicatione suæ sententiæ, ejus probationem aggreditur verbis à Celladeo citatis, in quibus nulla est difficultas, si sermo sit de rebus ad salutem necessariis, quia aperte conuincunt, infallibilitatem fuisse necessariam, ne Deus Ecclesiæ suæ deesset in necessariis. Neque probabilitas erroris quidquam iuaret ad finem obtinendum, quamvis à novo peccato excusaret.

Probabilitas doctrinæ non sufficit ut Ecclesiæ dicatur Sancta, ut vocatur in Symbolo.

26. Difficultas ergo, si quæ est, latet in altera parte, in qua Bellarminus probat, Pontificem errare non posse in rebus per se bonis, aut malis, quia tunc Ecclesiæ dici non posset Sancta, ut vocatur in Symbolo Apostolorum, eò quòd nil falsum doceat, nil malum præcipiat. Respondeo, hæc esse verissima, quia si Ecclesiæ in his erraret, verè non esset Sancta in sensu Symboli, à quo vocatur Sancta, quia profiteretur legem Sanctam, quæ nil docet falsum, nil per se malum præcipit. Jam certum est, errorem probabilem non sufficere, ut Ecclesiæ dicatur Sancta in hoc sensu, quia error ejusmodi facillè detegeretur, cum malitia eorum, quæ sunt intrinsecè mala, vix quemquam lateat. Ergo Ecclesiæ eo ipso conuinceretur non esse Ecclesiæ Dei, nec ab illo dirigi, utpote quæ in rebus ejusmodi erraret, precipiendo ea, quæ lumen rationis naturalis rectè concludit esse intrinsecè mala, aut è contra vetando, quæ ratio conuincit esse optima. Profectò si Ecclesiæ talia præciperet, aut prohiberet talia, non mereretur vocari singulariter Sancta propter legem, quam profiteretur, cum lex illa turpia præciperet, & prohiberet Sancta. Præterea post turpitudinem detectam Ecclesiæ teneretur priora præcepta ut erronea & turpia revocare, aut certè peccaminosè in turpi doctrina continuanda procederet. At utrumque repugnat cum Sanctitate, quam profiteretur, quæque illi à Symbolo tribuitur. Itaque titulus ille efficaciter probat, Summum Pontificem in morum doctrina tradenda esse infallibilem, & non posse ne quidem materialiter in illa errare. Quod verum est, tamen si fidelium opera, ex errore invincibili orta, non solum sint mali moralis expertia, sed etiam honestatem continent. Unde perperam infertur, rationes Bellarmini nil valituras, si semel concedatur, opus ex errore invincibili, non solum non esse malum, sed etiam bonum.

Celladeus æquivocat & confundit omnia Sancta sub una significatione.

27. Error Celladei in eo vertitur, quòd ex æquivocatione satis obvia confuderit nomen Sanctam, prout applicatur Ecclesiæ in Symbolo, cum eodem nomine, prout applicatur cuius operi honesto, cum duæ illæ significationes plurimum inter se discrepent. Pontifex ergo, prout est Summus Pastor Ecclesiæ sanctæ, p. stulat infallibilitatem in doctrina morum, quamvis etsi non esset infallibilis; posset nos tutò dirigere per opinionem probabilem, siue veram, siue invincibiliter erroneam. Verùm tunc nos non dirigeret

prout Summus Pastor Ecclesiæ illius, quæ in sensu Symboli meriò vocatur Sancta, sed alio modo inferiori, sicut Pastores inferiores greges suos pascunt, quamvis sint fallibiles.

## SOLVITUR OBJECTIO V.

Ubi agitur de fine scientiæ moralis.

28. **O**BJECIT quindò, scientia moralis respicit actionem seu opus, quòd dirigit, ut finem. In hoc omnes cum Aristotele i. Ethic. conveniunt. Ergo scientia moralis non est propter scire, sed propter agere, & totus illius finis est rectitudo morum. Nec mirum; oportuit enim dari scientiæ practicas, quæ ad voluntatem, quæ de se cæca est, perficiendam ordinarentur, sicut dantur scientiæ speculatiuæ, quæ intellectu perficiendo deserviunt. Jam finis est mensura mediocritatis, quæ sunt ad finem; quia tota mediocritatis perfectio ex conducibilitate ad finem desumitur. Itaque cum scientia moralis sit propter rectos mores, utique omnis propria perfectio talis scientiæ est propter bonos mores. Ergo infallibilitas doctrinæ morum, utpote maxima talis doctrinæ perfectio, alium finem non habet, quàm ut infallibiliter dirigat ad bonos mores, & iis mediantibus ad salutem æternam. Ergo ubi non est infallibilitas in doctrina, non potest haberi infallibilis morum directio; alioquin nec veritas falsitati, nec infallibilitas fallibilitati præstaret, quia fallibilis & falsa cognitio tam infallibiliter dirigeret ad bonos mores, quàm cognitio vera & infallibilis; tota enim perfectio mediocritatis taxatur per finem, ut dictum est. At certum est, cognitionem veram & infallibilem præstare falsæ ac fallibili. Ergo quando dirigimur per cognitionem fallibilem, impossibile est nos infallibiliter bene operari. Ruit ergo tota securitas & infallibilitas bonæ operationis, quam benigna sententia spondet. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo primò argumentum eò tendere, ut probet nullam operationem bonam elici posse dependentem à directione falsa aut fallibili; nisi enim hoc probet, nil probat. At hoc est falsum in omnium sententia, quia error invincibilis excusat à toto, & fundat opus bonum. Præterea probabile positivum Celladei fundat operationem honestam, & quidem infallibiliter, saltem ex parte objecti, & quoad se. Ergo argumentum nimis probat, & præterea ab ipso Celladeo solvendum est.

29. Respondeo secundò, media esse in duplici differentia; alia sunt purè media, nec aliam appetibilitatem habent, quàm à conducibilitate ad finem. Sic secari pro calculo è vesica extrahendo est purum medium, quia nullam habet appetibilitatem nisi in ordine ad finem, cui subordinatur. Alia sunt quidem utilia ad finem aliquem, non tamen sunt purè media, quia habent appetibilitatem independentem à conducibilitate ad finem, cui obtinendo deserviunt. Sic de facto Mysterium Incarnationis fuit medium ad reparationem humani generis, sed non est purum medium respectu illius, quia habet amabilitatem independentem à tali ejus ordinatione. Jam Celladeus confundit hæc duo media, & omni medio tribuit id, quod soli puro medio convenit. Quamvis enim scientia moralis ordinetur ad opus bonum, non tamen est purum medium, sed habet appetibilitatem aliam, quatenus perficit intellectum. Itaque opus bonum est quidem finis scientiæ

Quis sit finis scientiæ moralis?

Argumentum retinetur.

Medium est duplex, aliud purum medium, aliud per se appetibile.

Celladeus confundit purum & medium per se appetibile.

scientia moralis, sed certe non est unicus illius finis. Ratio est perspicua. Omnis scientia est proprius actus intellectus: ergo non potest non eò tendere, ut propriam potentiam perficiat. Præterea, omne verum est finis & objectum intellectus. Ergo & verum morale. Tertio, cognitio moralis certa & evidens melior est intellectu, quam falsa aut fallibilis. Ergo cognitio moralis promovet bonum intellectus. Ergo finis talis cognitionis est etiam perficere intellectum. Et sanè multi appetunt hanc perfectionem, absque eo quòd scientias morales ad opus ordinent. Sic plures discunt præcepta oeconomia, aut etiam politica, qui tamen nec domesticis nec politicis rebus curandis animum adjuvant, immò qui decreverunt omnibus ejusmodi rebus ac spebus se spoliare. Itaque ut pressius ac exactius loquamur, dicendum est, finem intrinsecum scientia practica esse perficere intellectum, opus autem esse finem extrinsecum ejusdem, ad quem tamen essentialiter ordinatur. Ex hac indubitata doctrina de fine scientia practica, discursus Celladei ruit, quia non sequitur, cognitionem infallibilem non præstare fallibili, quamvis utraque infallibiliter dirigat opus bonum, quia adhuc cognitio infallibilis prævalet, quia magis perficit intellectum, & ideo præeligenda est. Ex alio etiam capite ruit illius discursus, quia respectu præcisè habito ad finem voluntatis, cognitio infallibilis prævalet, quia majorem honestatem fundat, quam cognitio fallibilis, ut ostensum est *quest. 4.*

Finis intrinsecus scientia practica est perficere intellectum. Finis intrinsecus est opus.

Duo errores Celladei.

30. Ex his duo Celladei errores deteguntur. Primus est, quòd dicat finem scientia moralis non esse scire, sed solum agere; quia utrumque est finis, sed in diverso genere, ut dictum est. Secundus, & minus ferendus error est, quòd dicat, errorem in re morali non fore malum intellectus, si regularet opus bonum; quia intellectus, ut cognoscens res morales, non est propter se, sed propter mores. Ergo si mores sint recti, non obstante errore, error ille non erit malum intellectus ut cognoscens res morales. Ergo si intellectus falsò cognoscens æquè confert ad rectos mores, æquè bonus existit, nec à fine suo deviat. Minus, inquam, ferendus est hic error, quia ex falso principio per falsas ac malas deductiones magis à vero recedit. Fallit in principio, ut dictum est, quia veritas est indispensabilis finis intellectus, quippe qui non potest ferri nisi ad verum. Sed fallit etiam in deductionibus, quia loquendo de errore, ille non æquè confert ad bonos mores, sicut cognitio certa & evidens, tum quia non directè & per se, sed solum indirectè & per accidens ad illos confert: tum, quia non immobiliter ad eos dirigit; honestas enim talium operum eidem mutationi subest, cui subiacer cognitio, à qua diriguntur: tum quia errare, etiam contra intentionem, semper est nota aliqua; idque verum est tam respectu voluntatis quam intellectus, quia per errorem semper recedimus à fine, quem per se intendimus, ideoque in defectum intenti principalis utimur medio minus bono, & solum appetibili per accidens: tum demum quia cognitio certa majorem honestatem refundit in actum, quem regulat, quam incerta, ut ex professo probatum est *quest. 4.*

Finis scientia moralis probat benignam sententiam.

31. Respondeo tertio, sententiam benignam efficacissimè stabiliri ex hoc ipso principio, quo Celladeus illam everti arbitrat. Sic enim arguo. Scientia moralis est propter agere. Ergo utilis est ad opus, & ad mores dirigendos. At adeo

certainum est, scientiam moralem in plurimis esse incertam, ut Aristoteles ipse, omnesque alii post ipsum expressè doceant, non minus absurdum esse demonstrationes exigere in moralibus, quam in mathematicis meris conjecturis acquiescere. Ergo in moralibus saepe non possumus habere nisi cognitiones incertas. Ergo quando post diligens examen ventum est ad aliquam cognitionem incertam, sed prudentem & rationabilem, nec meliorem aut certioram habere possumus, illa utilis est ad suum finem. Ergo utilis est ad mores dirigendos. Ergo qui illam sequitur, non peccat, sed moraliter bene operatur, quia sequitur optimum quod habere potest. Et tamen cognitio illa fallibilis est, & aliquando falsa. Ergo certum est, opus, à cognitione fallibili, & aliquando à falsa directam, esse bonum. Ecce principium hoc efficacissimè favet benignæ sententiæ, nec in ullo apice urget nos, ut partim ex dictis, partim ex mox dicendis constabit; sed urget Celladeum, quia ex mente illius probat, nullum opus, à cognitione fallibili, etiam verà, directam esse honestum, alioquin infallibilitas fallibilitati non præstaret, cum idem finis æquè ab utraque procederet. At Celladeus ipse admittit, opus bonum satis gubernari à cognitione verè probabili, si sit vera, quamvis talis cognitio semper sit fallibilis. Videat ergo in quas inconsequentias, difficultates & contradictiones à propriis principiis inevitabiliter deducatur.

Celladeus proprio argumento refellitur, ubique tradit.

32. Respondeo quarto argumentum hoc, etiam admissis omnibus Celladei principiis, non impetere, quia fatemur, nullam dari operationem honestam, quæ ab infallibili cognitione morali non dirigatur; ultima enim consultatio, si quæ conscientia formatur, semper est certa & infallibilis, ut patet ex allato exemplo, & fusè tradidit *quest. 13. & quest. 19 de Consc. prob.* verum infallibilitas doctrinæ duplex est, altera directæ, indirectæ altera. Prima nunquam habetur per ullam rationem vel auctoritatem fallibilem; at secunda saepe fundatur in cognitione directæ fallibili, ut patet ex dictis; & hæc est securitas, quam benigna sententia spondet, quæ certè non ruit, sed potius stabilitur argumentis, quibus Celladeus eam destrui arbitrat.

Omnis operatio honesta dirigitur à cognitione infallibili.

33. Demum eisdem principiis admissis, respondeo & admitto, totum finem extrinsecum scientia moralis esse morum rectitudinem, simulque fateor, hunc finem esse mensuram omnium cognitionum moralium, quatenus ordinantur ad opus. Cæterum rectitudo morum, seu honestas operationis duplex est, alia adæquata, alia inadæquata. Illa constat ex rectitudine materiali & formali simul sumptis, hæc consistit in alterutra tantum istarum rectitudinum. Unde sequitur, finem mensurantem bonitatem cognitionum moralium sub eadem distinctione esse duplicem. Hoc posito, dico cognitiones inæquales ad eundem finem æqualiter non disponere, nam sola cognitio vera dirigit ad honestatem còpletam ex materiali ac formali conflata, sicut & sola cognitio infallibilis ad eam infallibiliter dirigit, infallibilitate scilicet rationali ac vitali, se tenente ex parte directionis ac modi, quo homo operatur; nam sola infallibilitas objectiva & materialis nil facit, cum sine cognitione hominem non afficiat, & stare possit cum malitia morali, casu quo homo putans bonum esse malum adhuc illud poneret. Jam completa hæc honestas ac rectitudo est *finis qui*, primarius & per se intentus à scientia morali. Huic *fini qui* addendus est finis etiam *quo*, ut habeatur adæqua-

Morum rectitudo alia adæquata, alia inadæquata.

adæquatus finis scientiæ moralis. Finis autem iste undique completus consistit in honestate completa certò ac infallibiliter amata, seu possessa. Verùm iste finis ab incerta cognitione haberi nequit; cognitio enim fallibilis solum fallibiliter nos dirigit ad opus completè bonum, adeo ut semper formidemus de honestate materiali operis, quamvis falsitas non detegatur, sed opus credatur esse honestum. Hinc operans ex cognitione fallibili minùs perfectè quicquid in suo opere, minusque perfectè illo fruitur, quàm quando ex cognitione certa & infallibili dirigitur. Itaque sola cognitio certa & infallibilis pertingit ad obtinendum finem adæquatum & totalem scientiæ moralis, reliquæ solum afferunt secundum finem inadæquatum ejusdem. Ergo cognitio infallibilis fallibili præstat, quamvis fallibilis sæpe fundet certitudinem reflexam de honestate formali operationis. Ratio est duplex: prima, quia infallibilis majorem honestatem inducit, quàm fallibilis. Secunda, quia cognitio infallibilis ducit ad meliorem, nobiliorem, magisque intentum finem, ac ad quietiorem stabilioremque ejusdem possessionem, quàm cognitio fallibilis.

Exempla incongrua à Celladeo allata.

33. Nullæ proinde sunt paritates, quibus Celladeus ad præsentia absurda exaggeranda utitur. Comparat primò duos statuarios inter se, & dicit eos fore æquè perfectos in sua arte, si æquè bonas statuas facerent, quamvis unus dirigeretur per cognitiones veras, alter per falsas. Tum applicat similitudinem ad duos moraliter operantes, & dicit, utrosque fore æquè bonos, quamvis unus infallibilis, alter fallibili cognitione dirigatur, si uterque certò & infallibiliter benè operetur. Verùm applicatio procedit de subjecto non supponente, quia supponit opus directum à fallibili cognitione esse æquè bonum, ac opus à veritate infallibili regulatum, quod est falsum. Præterea, admittit incongruam illam ac impossibilem comparationem duorum illorum statuariarum, dico illos non fore æquè perfectos in sua arte, quamvis per accidens facerent opera materialiter æquè perfecta, quia qui haberet cognitiones certas ac infallibiles, certius, suaviusque procederet in operando, quàm qui incertis ac falsis cognitionibus dirigeretur, & aliter faceret in opere, quàm cognitiones illæ falsæ præferberent. Primus enim verè artificiosè & scientificè, alter cæco modo & præter præscriptum suæ rationis operaretur. At hæc diversitas operandi multum conducit ad perfectionem artis, ut patet. Uno verbo, unus haberet artem, alter non haberet artem, sed errorem. Ergo uterque non esset æquè præstans in arte. Adde, verum artificem longè meliori ac perfectiori modo fruiturum opere suo ex artis præscripto scienter factò, quàm fallum illum & errantem opificem, qui sicut careret principio artis, ita etiam ejusdem fine, seu possessione ac fruitione artefacti ex præscripto artis careret. Ergo è contrario ex hac paritate inferitur, duos homines non esse æquè perfectos in scientia morali, nec æquè beatos, quamvis uterque faceret opus æquè bonum, & unus falsà, alter infallibili ac verà cognitione dirigeretur; quia ille solus ex perfectione artis operaretur, atque sine totali artis, optimaque finis illius possessione frueretur, qui ex certa & infallibili cognitione operaretur, ut patet.

Aliquando opus ex errore est æquè bonum ac opus ex cognitione vera,

34. Dicam ego Celladeo, ubi duo futuri sunt æquè boni, & æquè instructi scientia morali, quamvis unus vera, alter falsa cognitione dirigatur. Calus est, quando cognitiones ac volitiones

utriusque quoad omnia sunt prorsus similes, quamvis unus erret, alter non erret. Sic duo fratres æquè boni sunt, & æquè instructi scientia morali, qui similibus obedientiam præstant Patri, quamvis unus eorum erret judicando illum esse suum patrem, modò eandem prorsus rationes habeat ad existimandum illum esse suum patrem, quas alter habet, qui non errat. Et peto à Celladeo, in quo diversitas consistat? Nunquam dixerit. Uterque enim & apud Deum & apud homines eadem prorsus laude dignus est, quia uterque in modo operandi, in operatione ipsa, atque in possessione operis parati eodem prorsus modo procedit.

35. Secundo loco comparat privatum Auctorem cum Romano Pontifice, illiusque auctoritatem hujus auctoritati præfert, quia ille tantum potest per opinionem fallibilem, quantum Pontifex per decisionem infallibilem. Ergo ille præferendus est, sicut præferendus esset, qui gladio arundineo, seu instrumento imperfectiori tantum posset, quantum alius gladio ferreo, seu instrumento perfectiori. Verùm omnia procedunt de subjecto non supponente, quia directio falsa & fallibilis nunquam tantum præstat, quantum cognitio certa & fallibilis, ut ostensum est.

Privatus D. C. r. minus præstat quam Papa.

#### SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES & paradoxa Celladei.

36. OBJECTIONES sextò. Benigna sententia amplior facit auctoritatem gravis Auctoris, quàm Ecclesiæ, vel Rom. Pontificis, aut etiam Dei ipsius, quia Auctor gravis habet universalioris materiam suæ infallibilitatis, quàm Ecclesia, vel Pontifex, aut Deus ipse. Ecclesia enim, Pontifex, & Deus, sua auctoritate interveniente, non possunt refundere honestatem indefectibilem nisi in unam partem contradictionis, nempe in eam, quæ vera est. At gravis Auctor in utramque partem, scilicet tam in falsam quàm in veram refundere potest honestatem indefectibilem. Suscitur bellum ex altera solum parte justum, sed cum jure utrimque probabili: in hoc casu, nec Pontifex, nec Deus ipse si foret iudex, utrique parti placere posset, sed uni tantum placeret, alteri displiceret, quia unius tantum bellum approbaret ut justum, alterum condemnaret ut injustum. At gravis Auctor utrique dicere posset, non peccas, honestè agis, suoque hoc responso utrumque infallibiliter à peccato liberat, & honestatem in utriusque bellum refundit. Ergo amplior & universalior est auctoritas gravis Auctoris, quàm Ecclesiæ, Pontificis, aut Dei ipsius, saltem quoad refundendam honestatem in rebus ad mores spectantibus. Ita Celladeus §. 4. ubi asserit, sequelam videri non probatam, sed demonstratam.

Mox §. 5. infert, auctoritatem indoctorum esse majorem, minorem doctiorum, & doctissimorum minimam. Ratio, inquit, est, quia quò quis est doctior, eò certius novit plures veritates, atque ita magis accedit ad Dei similitudinem. Unde in paucioribus respondere potest favorabiliter ad utramque partem, quia contra veritatem certò notam consilium dare non potest. E contra, indoctorum pauciores veritates certò novit, ideoque juxta casus in Summis collectos respondere potest in favorem utriusque partis, ac utrique, etsi contraria operanti, honestatem refundere. Ergo indoctorum maxima esset auctoritas, doctissimorum minima.

Neque

Paradoxus.

Paradoxus.

Neque hic sistit Celladeus, sed §. 6. contendit sequi ex benigna sententia, quod indoctiores forent expetibiliores, quodque doctiores evaderent fastidiosi, & pertinaces haberentur. Ratio est, quia amplior esset auctoritas indoctorum, quippe qui interrogati an aliquid liceret, respondere possent, ita; cum Docti, veritatem certo scientes, tenerentur dicere, non. Ergo expetibiliores essent Consultores minus docti. Rursus Doctiores forent fastidiosi, quia in plurimis tenerentur respondere juxta veritatem, ac dicere non, non autem ad gustum, sicut imperiti responderent dicendo, ita. Præterea immobiliter suam tutarentur sententiam contra plurimos, neque enim à comperta veritate retrocedere licet, quamvis plurimi reclamant; ideoque haberentur pertinaces. Quod si S. Paulus ad nos descendere, ille omnium fastidiosissimus ac pertinacissimus haberetur, quia ad omnes prorsus opiniones probabiles falsas diceret, non. Atque inflexibiliter in illo responso maneret, quantacumque multitudine dicente contrarium.

Argumentum Celladei procedit de subiecto non supponente.

37. Respondeo primò argumentum supponere, gravem Auctorem in incertis, atque etiam in falsis, infallibilitatem suis dictis conciliare, quod falsissimum est; dictum enim illius semper est incertum, & infallibilitas honestæ operationis nullatenus fundatur in illius auctoritate, tamquam in præmissa, ut sæpe dictum est. Rursus argumentum supponit, honestatem refusam in opus ex gravis Auctoris resolutione factum esse indefectibilem, quod etiam falsum est; ut constat ex dictis.

Auctoritas privati Doctoris est minor auctoritate Papæ in concursu.

38. Respondeo secundò, & peto à Celladeo; an contendat, auctoritatem privati Doctoris esse ampliolem & majorem auctoritate Ecclesiæ, Papæ, & Dei, quando simul concurrunt, & ille afferit esse licitum, quod isti tradunt esse illicitum? an verò solum contendat, argumentum procedere extra concursum, ita scilicet, ut gravis Doctor, illis tacentibus, sua auctoritate reddere possit plura rationabiliter credibilia, & invincibiliter ab aliis credita, quam illi possent, si de iisdem interrogati suam auctoritatem interponerent, & quæstionem resolverent? Si primum, in quo sensu loqui debet, ut argumentum ullam vim habeat, evidenter errat, & loquitur de subiecto non supponente; nulla enim probabilitas pro una parte consistere potest cum certitudine pro altera contradictionis parte, ut evidens est ex notione probabilitatis à nobis assertæ. Atqui iudicio Ecclesiæ, vel Papæ, & multò magis iudicio Dei interposito, datur certitudo pro parte, quam affirmant. Ergo pars opposita non manet probabilis, licet non unus, sed plurimi Auctores eam veram esse affirmant. Qua ergo specie veritatis dixit Celladeus, ex nostra sententia sequi, quod major & amplior sit auctoritas Doctoris privati, quam Dei & Ecclesiæ? nonne, auctoritatibus istis concurrentibus & contraria dicentibus, auctoritas privati Doctoris penitus obruitur, dictumque illius omnem omnino probabilitatem, & sufficientem alios dirigendi vim perdit? At illa auctoritas est major, quæ aliam contradicentem adeo superat, ut non solum prævaleat, sed illam prorsus extinguat. Talis est Auctoritas Dei & Ecclesiæ respectu auctoritatis privati Auctoris. Ergo illa incomparabiliter superat istam; idque evidenter sequitur ex nostra sententia.

Etiā extra concursum est minor.

39. Quod si dicat secundum, scilicet auctoritatem privati Doctoris extra concursum extendi

posse ad plura in aliqua materia, quam auctoritatem Dei, si Deus de eadem interrogatus loqueretur, iterum apertè errat, quia nullum est objectum, de quo gravis Auctor suam interponit sententiam, de quo Deus etiam respondere non possit. Ergo auctoritas Dei, ne quidem ex hoc capite, est magis limitata quam auctoritas privati hominis, nec homo de pluribus, Deus de paucioribus sententiam dicere potest. Sed è contrario Deus de infinitis loqui potest, de quibus privatus ille nil prorsus novit. Ergo evidenter falsum est, quod homo respondere possit de pluribus, aut ampliolem auctoritatem habeat quam Deus. Equivocatio in eo vertitur, quod homo privatus aliter respondere possit de propositis, quam Deus, sed non de pluribus. At quod quis aliter respondere possit quam alius, nullum excessum auctoritatis arguit quoad extensionem, ut patet. Sed neque quoad intensionem, nisi fortè majorem fidem mereatur, quam qui contrarium dicit. Porro in his omnibus Deus infinito intervallo superat omnem hominem, ut patet.

40. Itaque argumentum, ut ulla ratione utatur, sumi non debet, ut verba sonant, quasi sensus sit, quod gravis Auctor de pluribus respondere possit, quam Deus, sed quod possit aliquid respondere, quod Deus non potest, aut quod alicui quæstioni aliter respondere possit, quam Deus. Hoc verum est, & ab omnibus admittitur. Sed hoc non oritur ab amplitudine aut perfectione, sed ab imperfectione talis auctoritatis. Fundatur enim in eo, quod privatus homo post debitam diligentiam errare possit, & errando dicere utramque partem contradictionis esse licitam, quando altera pars verè est prohibita. Hinc autem fit, ut homines, ignorantia tenebris involuti invincibiliter errent, dum celeberrimi Doctoris resolutioni fidem præbent, ideoque in pluribus excusentur, quam excusati fuissent, si Deus vel Ecclesia eos docuissent. Verùm hæc omnia per accidens se habent ob miserum ignorantia statum, cui immergimur, nec locum habere possunt nisi Deo & Ecclesiâ silente. Ideo enim gravi Auctori in incertis prudenter credimus, quia auctoritas prævalens non contradicit: nam omnis probabilitas fundatur in carentia certitudinis de contrario. Ergo auctoritas cujuslibet Auctoris privati per hoc completur, quod infallibilis auctoritas Dei vel Ecclesiæ contrarium non doceat, quia hoc necessariò involvitur in eo, quod nil certi in contrarium afferatur. Hæc sunt, quæ imminuunt auctoritatem privati Doctoris, de qua aliter loqui non possumus, si communibus benignæ sententiæ principiis inhæreamus. Erravit ergo Celladeus, qui ex nostra sententia oppositum inferri existimavit.

41. Porro exemplum à bello inter duos desumptum, non est ad rem, & quod plus est, Celladeum refellit. Non est ad rem, quia sicut auctoritas infallibilis non potest dicere veritatem materialiter sumptam utrique parti favere; ita neque privatus Doctor simul dicere potest, veritatem ipsam pro utroque stare, alioquin simul eliceret duos actus contradictorios, quod repugnat. Itaque nemo sive privatus sive publicus, sive fallibilis sive infallibilis, judicare potest utriusque bellum esse absolute materialiter justum. Ergo exemplum hoc non est ad rem, cum distribui ac applicari non possit ad intentum probandum.

42. Quod si privatus non ferat sententiam de absoluta ac materiali honestate belli utriusque

Nullus homo aut extensivè, aut intensivè majorem auctoritatem habet quam Deus.

Exemplum à bello duorum non est ad rem.

Idè exemplum vertit opinionem sed Celladei.

sed ad principia reflexa, ac ad probabilitatem utrique parti faventem confugiat, eò quòd veritas post debitam diligentiam certò sciri non poterit, in aliquo casu rarò dicere poterit, rationes tales utrique parti favere, ut uterque prudenter credere possit, bellum sibi licitum esse. Verùm hic sensus intentum Celladei evertit, nam si veritas materialis Pontificem lateat, poterit ille, non minùs quàm privatus Doctor, rationes considerare, & in aliquo casu rarò dicere, motiva utrique parti faventia esse sufficientia ad conscientiam de honestate belli licitè formandam. Ergo auctoritas Pontificis ex hoc capite non est minùs ampla, quàm auctoritas privati Doctoris, quia de omni eo ferre potest sententiam, de quo privatus Doctor potest opinari. Quòd si cum Doctore concordet, tunc quòd prius erat solum probabile, evadit certum; si verò à Doctore dissentiat, eo ipso assertum Doctoris privati omnem probabilitatem amittit. Hæc ratio multò magis valet respectu Dei, modò ille iustis de causis veritatem ipsam certò manifestare nolit; eo ipso enim vult homines per motiva tantùm incerta gubernari, de quorum sufficientia ipse suam etiam sententiam ferre potest, & vel approbare, vel pœnitus infirmare responsum privati Doctoris, prout idem aut diversum responderit. Ecce auctoritas Dei & Ecclesiæ in omni sensu amplior est, & major auctoritate privati Doctoris. Nec dubium, quin Deus & Ecclesia indefectibilem honestatem in utramque partem contradictionis refunderent, casu quo, interpositâ suâ auctoritate, dicerent, motiva utriusque partis ad conscientiam ritè formandam sufficere.

Auctoritas Dei & Ecclesiæ in omni acceptione amplior est, & major auctoritate privati Doctoris.

Pontifex aliquando resolvit casu pro utraque parte.

43. Et sanè Pontifex nonnunquam, non solum in rebus facti, sed etiam in rebus juris, hoc modo procedit. Sic in quæstione de Immaculata Deiparæ Conceptione (quæ ad fidem & mores pertinet, & non ex factò, sed ex jure decidi debet) inter diversa sentientes, sequo mutuo peccati damnantes, ita se mediatorem ac judicem constituit, ut quæstione ipsâ non determinatâ, satis apertè declaret utramque partem sufficienti fundamento niti, ut si absque pravo animi affectu errent, invincibiliter errent, & excusentur. Vide Bullam Alexandri VII. an. 1661. editam. Ecce Ecclesia non solum potest se gerere, sed de factò in hac causa ita se gessit, sicut privati Doctores in rebus dubiis se gerunt. Immo Ecclesia hoc suo factò efficax argumentum præbet ad existimandum, quòd quævis opinio certò practicè probabilis sufficiat ad assensum prudentem illi præbendum, & ad conscientiam per talem probabilitatem debitè formandam. Itaque ex hoc factò Ecclesiæ, Auctoritas Doctoris probabiliter resolventis pro licito utriusque partis usu pondus sumit, quia exemplum Ecclesiæ certificans de uno casu, probat resolutionem privati Auctoris in casu simili sufficere. Tantùm ergo abest, ut privati Doctoris auctoritas Ecclesiæ auctoritatem superet, ut in omnibus ei subordinetur.

Doctorum auctoritas longè major quàm indoctorum.

44. Ad illud, de majore indoctorum auctoritate, responsio patet ex dictis; non solum quia doctior in iis, in quibus certò novit veritatem, totam minùs docti auctoritatem evertere potest, sed etiam quia si maneamus in incertis, quò quis doctior est, eò plures & meliores rationes afferre potest pro utraque parte, quàm minùs doctus; & quòd plus est, in multis, circa quæ indoctus nil respondere audeat, sententiam profert, & conscientias priùs dubias erigit ac firmat. Præterea

doctissimi quique Theologi fuè e, quibus minùs docti fidunt, dum juxta resolutiones certò probabiles aliorum conscientias regunt. Ab illis enim didicerunt, licitum cuique esse sectari quantumque opinionem certò probabilem practicè, nec nisi illorum auctoritate fulti hoc alis ut licitum proponunt. Ergo tantùm abest, ut indoctorum auctoritas doctissimorum auctoritati prævaleat, ut quidquid auctoritatis minùs docti habent, id totam ab auctoritate doctissimorum derivetur, atque in illa ut in tuta morum regula fundetur.

45. Ad ultimum, de majore indoctorum expectibilitate, dico, totum Celladei discursum magna rerum confusione scaterere, quæ deceptus, apertam falsitatem pro legitima consequentia intulit. Inprimis, confundit valentes discernere Auctores & rationes graves & leves, cum non valentibus eos discernere. Secundò, confundit volentes errare cum errare nolentibus. Tertio, confundit habentes infallibilitatem & indubitata ejus signa cum ea non habentibus, atque ex his deducit, illa omnibus indiscriminatim convenire, quæ solum alteri eorum classi conveniunt. Hoc ut clariùs pateat, singula singillatim probanda sunt.

46. Inprimis confundit doctos, seu valentes discernere inter rationes & Auctores, cum indoctis ista discernere non valentibus. Patet hoc: quia unusquisque ex benignâ sententiæ præscripto eniti debet, quantum ratio postulat, ut veritatem ipsam assequatur. Quòd si post debitam diligentiam eam assequi nequeat, non peccat, si bona fide opinionem probabilem sectetur, quia vel non errat, vel errat invincibiliter, si erret. Hoc stante, evidens est, indoctos non esse universalitèr præferendos consiliariis doctissimis; doctissimi enim ineptè peterent consilium ab indoctis, tamquam à judicibus, quia eorum resolutioni starent, quos scirent, de rebus ejusmodi rectè judicare non posse. Deinde, errorem affectare viderentur, quia eos adirent, quos in rebus difficilioribus proclives ad errandum noscent. Tertio demùm, per hoc debitam diligentiam non adhiberent, ideoque non excusarentur, si errarent, quia vincibiliter errarent. Ergo ex nostra sententiâ non sequitur, Consultores indoctiores universalitèr esse præferendos, cum à multis non nisi turpiter in conscientia directores eligi possint. Sed neque sequitur indoctiores esse expectiliores pro rudibus, quia si homini rudi constaret, quis esset doctior, cæteris paribus, teneretur eum consulere, maxime circa dubia, pro quibus solvendis suspicaretur alium non esse sufficientem; alioquin non faceret quod in se est ad veritatem sciendam. Demùm, doctiores omnibus sunt expectiliores, quia vel certò sciunt veritatem, & tunc expedit illam scire, vel si res maneat incerta, meliores rationes suggerere possunt quàm minùs periti, atque per principia reflexa conscientias certius dirigere, quàm indoctiores, ut patet.

47. Cæterùm rudibus, qui hæc discernere nequeunt, sufficit eos consulere, quos sibi præpositos habent, vel alios, de quibus merito præsumunt, quòd possint ac velint eos secundùm veritatem dirigere, ubi illa sciri potest; aut, ubi sciri non potest, juxta principia reflexa, quæ ad conscientiam debitè formandam sufficiunt. Quando rudes hoc fecerunt, & juxta rei gravitatem debitam diligentiam adhibuerunt, directoris sui sententiam amplectendo non peccant, quia si errent, in vin-

Triplex a. quivocatio Celladei.

Primò confudit Doctos cum indoctis.

Doctissimi non rectè consulunt indoctos.

Doctiores omnibus præferendi.

Rudes prædeter stant iudicio suorum præpositorum.

Invincibiliter errant. Hoc verum est, quamvis ab eis consilium petant, quos peritissimis in suis dubiis consulere, & multo minus eorum iudicio stare non expedit.

Secundo, confundit volentes errare, cum errare cum errare nolit.

48. Secundo, confundit volentes errare, cum errare nolit, quia ponit exempla Principum ac Magistratum, qui quolibet etiam idiotam pro conscientiae regimine contenti sunt, cum tamen in aliis rebus consultores optimos adhibeant. Deinde eos etiam affert, qui sibi displicentia audire horrent, & ideo ad indoctos accedunt, ne, si doctiores consulant, audiant quae nolunt. Verum tales homines ignorantiam affectant, nec excusantur. Non enim querendus est consultor, qui placentia, sed qui veritatem dicat, ubi illa haberi potest; aut ubi latet, dicat, quid stante tali ignorantia fieri expediat. Hos tantum turos esse asserimus, illos minime. Unde sequitur, sapientiores consiliarios, ceteris paribus, praefereandos esse ab eis, qui debitam conscientiae curam gerunt, quia per illos obligationem certius implemus, & conscientiam rectius formamus, ut patet. Et quidem haec omnia ex benigna sententiae praescripto evidenter inferuntur. Itaque quamvis indocti & minus probi consultores illis sint appetibiles, qui ignorantiam affectant, & solum apparenter iusti videri cupiunt, inde non sequitur, eos esse simpliciter appetibiles, sed oppositum nimis clarum est ex praescripto benignae sententiae, quae primos damnat, excusat autem secundos, dummodo debitam diligentiam ad sciendam veritatem adhibeant.

Tertio, confundit habentes infallibilitatem, & indubitata eius signa, cum ea non habentibus. Dicit enim eos, qui veritatem evidenter scirent, immo ipsum Sanctum Paulum, pro morosis ac fastidiosis consultoribus habendos, quia immobiliter dicerent ea non licere, quae plurimi pro licitis proponerent. Unde tanquam pertinaces ac fastidiosi ab omnibus repellerentur. Sed peto, a quibus repellerentur? an ab iis, qui verè scirent, aut S. Paulum adesse & contrarium docere, aut doctum illum consultorem veritatem evincere? an solum ab iis, qui haec ignorarent, sed illos absque ullo suae scientiae & infallibilitatis signo immobiliter ea negantes audirent, quae plurimi notae probitatis & doctrinae constanter assererent esse licita? si à primis, ut indicare videtur Celladeus exemplo Prophetarum, quos pro nimis duris doctoribus à populo habitos fuisse dicit, quosque sufficientia suae infallibilitatis signa dedisse novimus; illi eo ipso suam perveritatem proderent, nec ullam probabilitatem sibi faventem haberent; nil enim est probabile, pro cuius opposito datur certitudo. Et sanè nos unanimiter dicimus, tales à peccato non excusari, quando contra infallibilem auctoritatem rationibus apparentibus inhaerent. Si à secundis, nil mirum, si tales consultores ab eis haberentur pertinaces & fastidiosi; imprudenter enim illis fidem darent, quamdiu nullum signum sufficiens veritatis aut infallibilitatis praebereant. Quid enim stultius, quam tali homini dicenti & non probanti credere, aliorumque notae probitatis ac doctrinae rationes repellere? Certè Christus ipse de Judaeis aperte testatur: *si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Unde sequitur, neminem ut infallibilem admitti debere, qui sufficientia suae infallibilitatis signa non ostendit. Itaque in tali casu (si tamen contingere possit) ipse S. Paulus rationabiliter existimaretur esse animi pertinacioris, quia solus

49. Tertio, confundit habentes infallibilitatem, & indubitata eius signa, cum ea non habentibus. Dicit enim eos, qui veritatem evidenter scirent, immo ipsum Sanctum Paulum, pro morosis ac fastidiosis consultoribus habendos, quia immobiliter dicerent ea non licere, quae plurimi pro licitis proponerent. Unde tanquam pertinaces ac fastidiosi ab omnibus repellerentur. Sed peto, a quibus repellerentur? an ab iis, qui verè scirent, aut S. Paulum adesse & contrarium docere, aut doctum illum consultorem veritatem evincere? an solum ab iis, qui haec ignorarent, sed illos absque ullo suae scientiae & infallibilitatis signo immobiliter ea negantes audirent, quae plurimi notae probitatis & doctrinae constanter assererent esse licita? si à primis, ut indicare videtur Celladeus exemplo Prophetarum, quos pro nimis duris doctoribus à populo habitos fuisse dicit, quosque sufficientia suae infallibilitatis signa dedisse novimus; illi eo ipso suam perveritatem proderent, nec ullam probabilitatem sibi faventem haberent; nil enim est probabile, pro cuius opposito datur certitudo. Et sanè nos unanimiter dicimus, tales à peccato non excusari, quando contra infallibilem auctoritatem rationibus apparentibus inhaerent. Si à secundis, nil mirum, si tales consultores ab eis haberentur pertinaces & fastidiosi; imprudenter enim illis fidem darent, quamdiu nullum signum sufficiens veritatis aut infallibilitatis praebereant. Quid enim stultius, quam tali homini dicenti & non probanti credere, aliorumque notae probitatis ac doctrinae rationes repellere? Certè Christus ipse de Judaeis aperte testatur: *si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Unde sequitur, neminem ut infallibilem admitti debere, qui sufficientia suae infallibilitatis signa non ostendit. Itaque in tali casu (si tamen contingere possit) ipse S. Paulus rationabiliter existimaretur esse animi pertinacioris, quia solus

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

contra omnes in sua sententia persisteret, licet nullas rationes sufficientes pro hoc afferret. Sicut ergo in primo casu absurdum esset dictis S. Pauli non credere, quia id esset contra auctoritatem infallibilem sufficienter probatam sentire; ita in secundo casu absurdum esset illius sententiae stare, cum nulla peculiaris veritatis, sed multa pertinaciae signa praeseferret. Quod si Celladeus haec; ut oportebat, distinxisset, nullam ex hoc capite difficultatem in benigna sententia reperisset.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO.

Et agitur de obligatione Summi Pastoris circa cenuram opinionum nascentium.

50. **O**BJICIT septimò. Si liceret sequi quamcumque opinionem probabilem, auctoritas Rom. Pontificis eluderetur in concursu contra auctoritatem privati Auctoris. Immo talis concursus redderetur inutilis & noxius. Probatur prima pars sequela, quia interpretationes probabiles, ex ignorantia ortae, vim Pontificiae declarationis enervant, illamque quodammodo inutilem reddunt. Praeterea sunt qui docent, decreta doctrinalia Pontificis non obligare, nisi à regis senatibus approbentur. Alii docent, illa obligare solum in foro exteriori. Plures tenent, declarationes Cardinalium sacrarum Congregationum esse solum velut opiniones probabiles, vel probabiliore, quae non adimunt probabilitatem à parte opposita. Ergo si Summus Pontifex non per se, sed per delegatos, etiam per Cardinalium Congregationes aliqui declararet, & Auctor gravis dicit oppositum, illius sententia erit probabilis, illamque sequens infallibiliter non peccabit. Ergo tota sollicitudo Pastoralis frustrator suo effectu, etiam in concursu, quando immediatè per se ipsam non agit.

An auctoritas Pontificis per privatos Doctores claudi solet?

51. Probatur secunda pars sequela. Si Doctoris gravis auctoritas ad conscientiae securitatem sufficeret, non esset cur supremus Pastor in inferiorum doctrinas inquireret, suamque contra eas auctoritatem interponeret. Si enim oves per quamlibet probabilitatem salubriter pascantur, & tuto salventur, quid amplius desiderare possunt Pastores? frustra ergo laborat pastoralis sollicitudo in talibus sententis damnandis, quia per talem cenuram statui animarum non melius consultum est, quam esset antea. Eadem de causa frustra laborant Theologi, ut opiniones probabiles reddant improbabiles, quia per hoc non melius prospicitur saluti animarum, sed conscientiae fidelium frustra inquietantur. Ergo auctoritas Pontificis inutiliter concurreret contra Doctorem privatum, ejus doctrinam censurando. Immo talis concursus, sicut & Theologorum, tales opiniones resellentium, labor esset noxius. Inprimis haec non deserviunt, ut peccata vitentur, & operationes evadant honestae, quia utrumque per probabilitatem antea habebatur. Deinde per illud ipsum peccata multiplicantur, quia, stante Pontificis censura, multi propter consuetudinem, vel rei difficultatem, &c. eadem patrabunt, & consequenter peccabunt in iis, in quibus honestè operati fuissent, si talis censura non emanasset. Ergo omnis ejusmodi damnatio esset noxia; ad aliud enim non serviret, quam ad peccata multiplicanda, quae illa non posita, commissa non fuissent. Ita Celladeus §. 7.

Utrum Pontifex frustra censuret opiniones Theologorum?

52. Respondeo, nullam legem evacuari per

N

ratio-



Dei voluntati obtemperare, & officium, ad quod deputatus est, implere. At Deus & officium ipsius hac ab eo indubie postulant; quia sicut tenetur pueros ea docere, quorum ignorantia invincibili laborant, ita pariter totum suum populum de eisdem instruere tenetur; quamvis enim illi ob ignorantiam invincibilem non peccarent; opera tamen illorum Pastori in peccatum impurentur, nisi ille eam ignorantiam amoveret; quia Deus, qui determinata ratione coli vult, ad ea populum docenda Pastorem obligat, ut sic in tota Ecclesia uniformitas morum, quantum fieri potest, habeatur. Si autem dicat, instructionem illam haud noxiam esse, sed utilem esse concedat, ipse proprio argumento respondere tenetur, ut illud repentem patebit. Sed quidquid ille responderit:

58. Ego respondeo, declarationem illam esse utilem ad finem à Deo intentum. Ille enim publicam omnium obedientiam in tali materia determinata exigit, ut sic omnes ob obedientiam remuneret. Quod si aliqui post legem intimatam obedire contempserint, in eos ultionem justitiæ ostendet, & sic tam ex bono quam ex malo creaturarum suarum opere gloriam suam universo mundo manifestabit. Ad hunc finem Parochi instructio utilis est & necessaria. Porro ex hac Parochi instructione speratur aliquorum obedientia, quam Deus in omnibus intendit. Quod si aliqui non obediverint, id erit quidem contra directam Dei intentionem, & ex illorum inobedientia secundarium Dei intentum complebitur, qui, suppositâ creaturâ malitiâ, efficaciter intendit, ut vincat cum judicatur, & gloriosus evadat quando contemnitur. Ad hunc finem procurandum notificatio legis est necessaria, ad quam proinde populo ingerendam Deus Pastores obligat. Quod si quis, veritate audita, non obediat, peccatum illius nec in Parochum officio suo fungentem, nec in Deum iusta postulantem refundi debet, sed in caput peccantis recidit.

Talis instructio Parochi utilis est, & necessaria ad finem à Deo intentum.

Pastor tenetur communitatem ignorantem instruere, sed Confessarius aliquando non tenetur instruere privatum.

59. Atque hinc disparitas inter Pastorem & Confessarium sumitur. Pastor respicit communitatem, quam Deus absolute vult instrui, & legem non ignorare. Præterea maxima communitatis pars speratur obtemperatura, & omnes ad obediendum obligabuntur; inobedientes autem exemplum ante oculos habebunt, quo confundantur & corrigantur. At Confessarius privatum hominem respicit, quem non semper tenetur instruere, quando videt eum invincibili legis ignorantia laborare; si enim nulla spes obedientiæ ex veritatis declaratione luceat, sed peccatum undique timeatur, tunc aliquando satius est penitentem in sua ignorantia relinquere, nisi penitens ipse informationem peteret, aut alia iusta causa interveniret, ob quam Confessarius obligaretur veritatem docere. Extra hos casus, Auctores rationabiliter docent, veritatem aliquando prudenter celari respectu personæ privatæ licet illa ab Episcopis vel Parochis taceri non debeat, quando totus grex illius ignorantia laborat. Itaque instructio Parochi utilis est ac necessaria, etiam in casu assignato, quamvis aliquorum inobedientia per accidens sequatur.

Theologi utiliter laborant quando opinioes prius probabiles refutant.

60. Similiter Theologi, qui opinioniones antea probabiles improbabilitatis arguunt, utiliter laborant. Ipsorum enim est veritatem diligenter investigare, eamque inventam proponere. Inde enim fiet, ut plurimi Deo juxta illius præscriptum ac directum intentum obtemperent, quia omnes ad veritatem ipsam eniti tenentur, quam R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

per dicti Theologi operam assequuntur. Quod si aliqui, veritatis consilii, contrarium sectentur, id sibi tribuant, non Theologo, qui munus suum implevit: nec Deo, qui tamquam supremus Dominus iusta exigit.

61. Eadem ratio multo magis locum habet in Romano Pontifice, cujus munus non impletur per hoc, quod subditi invincibiliter veritatem ignorantes Deum non offendant; tenetur enim curare, ut ea credant & faciant, quæ Deus declaravit se velle, mediante ipsius instructione, ab omnibus credi & observari. Itaque si Pontifex videret aliquas sententias falsas in Ecclesiam irrepsisse, hominesque illis adhærere, deberet illas damnare; quamvis sciret, subditos invincibili veritatis ignorantia laborare. Neque in hoc frustra defudat sollicitudo pastoralis, quia per talem declarationem & propriæ salutis prospicit ac alienæ. Propriæ quidem, quia munus suum implet; alienæ verò, quia homines salvari debent per obsequia, quæ Deus statuit, non quæ ipsi sibi præfigunt. Præterea, obedientia circa partem tutiorem, utpote plerumque meliorem & honestiorem, solet esse magis meritoria, quam circa partem minus tutam, quæ invincibiliter creditur licita. Similiter opus, ex certitudine directa factum, honestius est eò, quod elicitur solum ex iudicio probabili. Ergo Pontifex per tales censuras melius consulit salutem animarum, quam si taceret. Hoc autem maxime locum habet in rebus certis, in quibus ratio contingit, errorem esse universaliter invincibilem, qui proinde titulo etiam vincibilitatis è mentibus fidelium excludendus est.

Pontifici munus non impletur per hoc quod subditi non peccent.

Tenetur etiam invincibiliter errantes veritatem docere.

62. Quod si veritas non constet, sed opinioniones periculose exortantur, maxime si fideles in illis non conveniant, sed aliqui contra alios tamquam animarum deceptores insurgant, tunc Summi Pastoris est, veritatem investigare, eamque, si inventa fuerit, omnibus declarare, ut sic pax conservetur, & omnes absque opinionum dissidiis idiplum sapiant & dicant. Quod si veritas ipsa certò inveniri non possit, videndum est, an opinioniones illæ rationabili fundamento nitantur, nec ne? Si tali fundamento careant, officium ejus postulat, tales opinioniones proscribi, earumque usum prohiberi, ut schismata vitentur, & in moribus ac doctrina fidelium uniformitas eluceat. Quod si opinio gravi fundamento nitatur, non est cur eam condemnet, sed alia viâ pax conservanda est, prohibendo scilicet, ne una pars aliam censuret, &c. ut sæpe fieri videmus. Cæterum nec moris est, nec expedit opinionibus communibus certoque probabilibus ullam censuram inurere; tum quia veritas insuperabiliter latet, tum quia nil mali ex illarum toleratione sequitur, & è contra, neutra pars absque aliqua offensione & scandalo condemnari potest. Quod si contingat, opinionem paucorum rudibus scandalum & offensionem parere, illa restringi potest, & quoad varia prohiberi. Sic cuique liberum est sentire quid ipsi verius videtur de Immaculata Deiparæ Conceptione, at iustis de causis pars affirmans doceri, ac propalari etiam per privata colloquia prohibetur.

Opiniones certo probabiles restringere solet, sed non absolute condemnare.

63. Cæterum ex proposito. 45. ab Alexandro VII. non ita pridem damnatis, nulla damnata est, quæ ab ipso & Qualificatoribus habita est intrinsecè probabilis. Itaque ille optimo jure eas prohibuit, nec in hoc ullo modo obtulit benignæ sententiæ, quam certum est, tam ipsam quam omnes Qualificatores verissimam habuisse. Solem.

Alexander VII. nullam propositionem damnavit, nisi quæ putabat esse improbabilem.

lum enim dicimus, licitum cuique esse sectari quamcumque opinionem certò practicè probabilem. Ergo nullam opinionem damnavit, quam ex benigna sententiæ præscripto sequi poteramus; nullam enim prohibuit, quæ ad certam probabilitatem pertingebat. Quòd si usum alicujus opinionis certò probabilis prohiberet, eo ipso certò constaret, usum opinionis, priùs licitum, nunc fieri illicitum; nec hoc quidquam obstaret veritati benignæ sententiæ. Itaque certum est, decretum illud Alexandri VII. in nullo nostræ sententiæ officere, quiddid Celladeus in contrarium insinuet, ut supra *quæst. 8.* fusiùs explicatum est.

Epiphonema gloriosum & præterita Celladei demonstratio falsitatis arguitur.

64. Ex his falsitatis arguitur illud Celladei Epiphonema, quo quæstionem hanc sic concludit. *Ergo cura Pastoralis in doctrina morum, & omnes ac singule propositionum condemnationes demonstrant, probabilitatibus & Auctoribus gravibus id privilegii non competere, quòd ex illorum assertione elici mox possit dictamen infallibile non peccati.* Arguitur, inquam, falsitatis, quia certum est, curam Pastoralem, utpote non contentam si subditi non peccent; nil ejusmodi inferre, cum sæ-

pe ad alia teneatur, ut ostensum est; ita pariter certum est, damnationes opinionum illud non inferre; illæ enim aut supponunt opiniones illas non fuisse certò probabiles, ac propterea fideles in illis debitæ morum regulæ caruisse, aut certè reddunt eorundem usum certò illicitum, quamvis antea esset certò probabilis, ac invincibiliter haberetur licitus, & consequenter sine peccato poni potuisset. Itaque istiusmodi damnationes vel supponunt benignam sententiæ non habuisse locum, vel auferunt ejus materiam, & sic indirectè tantum efficiunt, ne locum habeat. At neutrum repugnat nostræ sententiæ, nec ex ullo illorum sequitur, infallibile dictamen non peccati non posse formari ex assertione Auctoris gravis, aut ex opinione probabili, modò constet, opinionem illam esse certò probabilem, & gravem illum Auctorem istam sententiæ certò probabilem reddidisse. Immo oppositum efficacitè probatum est tum in hac quæstione, tum *quæst. 2.* ac ex toto tract. de *Consc. prob.* sed ex dicendis id ipsum ulterius constabit. Inanis ergo est præterita Celladei demonstratio.

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

*Virum benigna sententia verè sit & meritò dicatur  
inimpugnabilis.*

Quæstio hæc cur in-  
Acta sit?



**C**ARAMUEL in suo Apologemate hanc protulit propositionem. *Ignorat dialecticam, qui medio probabili putat probabilitatem impugnari (melius dixisset expugnari seu everti) posse.* Wendrockius in *appendice ad librum Fagnani art. II.* hoc Caramuëlis dictum vehementius carpsit, sed immeritò, ut ostendi *quæst. 28. de Consc. prob. num. 155.* Wendrockium imitatus est Celladeus *lib. 1. quæst. 8.* ubi assertam hanc inimpugnabilitatem opinionis probabilis se non impugnasse solùm, sed duplici demonstratione logica expugnasse gloriatur. Quæstio hæc parum refert ad intentum principale, ideoque omitti potuit. Sed quia non expedit intactum relinqui, quod Celladeus sibi multùm favere, nobis autem plurimùm obesse putat; ideo breviter quid in hac re dicendum sit exponam. Nec tamen tangam, quæ ad Caramuëlem spectant; ille enim mea defensione non indiget, sed, ni fallor, suo tempore ostendet, Celladeum, aut mentem ipsius non esse ritè assequutum, aut invalidam expugnationem attulisse. Ego ergo ea solùm tangam, quæ ad quæstionem principalem pertinent. Sic ergo.

### ASSERTIO PRIMA.

*Opiniones probabiles non solùm impugnari,  
sed etiam expugnari possunt.*

2. **A**SERTIO est certissima; multæ enim Opiniones, tam in Physicis quàm in Ethicis, olim probabiles, & communiter pro veris admittæ, jam evaserunt improbables. Hoc adeo certum est, ut Celladeus de hoc non dubitet: & Caramuël in Apologemate à *num. 265. usque ad 282.* totas est in acervandis laxis antiquorum opinionibus, quæ olim communes erant, nunc autem, aut universim, aut certè maxima ex parte sunt certò improbables, & ut tales ab omnibus rejiciuntur. Plures hujusmodi opiniones attuli *quæst. 22. de Consc. prob.* antiquorum verbis citatis, aliasque plures in unum coacervavi *quæst. 28. num. 42.* ubi videri poterunt, quia in re comperitæ veritatis non est frustra laborandum. Itaque certum est, opiniones probabiles & impugnari & expugnari posse. Hæc expugnatio dupliciter fieri potest, primò, per demonstrationem evidenter convincentem contrarium, ut sæpe factum est in rebus physicis, eò quòd novis instrumentis & experimentis detexerimus principia certissima, quæ antiquos omnes latuerunt. Secundò, sine demonstratione rigorosa: idque dupliciter, primò accumulando nova argumenta à prioribus non perpenfa, quæ adeo superant motiva alterius partis, ut hæc in comparatione illorum robur suum perdant,